

# NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

**A** Vendo veduto per la Fede di Revisione ed Approvazione del P. F. Filippo Rosa Lanzi, Inquisitor Generale del Santo Officio di Venezia, nel Libro intitolato *R. P. Joannis Cabassutii, Notitia Ecclesiastica Historiarum Conciliorum, & Canonum &c.* Stamp. non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro niente contro Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza agli Eredi Baglioni Stampatori di Venezia, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 12. Giugno 1771.

(Sebastian Zustinian Rif.

(Andrea Tron Caval. Rif.

(Sebastian Foscarini Caval. Rif.

Registrato in Libro a Carte 68. al Num. 566.

*Davidde Marchesini Segretario.*

Registrato al Magistrato Eccell. contro la Bestemmia li 22. Luglio 1771. in Libro a Carte 27.

*Andrea Grattarol Segretario.*

NOTI



## NOTITIA ECCLESIASTICA HISTORiarUM, CONCILIORUM, & CANONUM

Inter se collatorum, Veterumque Ecclesiae rituum.

### ECCLESIAE PRIMI SAECULI HISTORICA SYNOPSIS.



**U**NGENITUS Dei Filius JESUS-CHRISTUS postquam humanum genus cruciatibus suis, & supplicio Crucis salutari asseruit libertati, tertioque die, ut praedixerat, surrexit a mortuis redivivus, dieque a Resurrectione sua quadragesimo, cernente Discipulorum multitudine, ascendit in caelum; primarii ejus Discipuli, quibus inditum Apostolorum nomen, pluresque alii quos prioribus ad fundandam, propagandamque Ecclesiam sociaverat, de dilectissimi Domini absentia mœsti, atque in unum collecti, iidemque adibus conclusi, adjuncta venerabili & sacratissima Christi Matre, primum habuere totius Ecclesiae Concilium; in quo a Petro Apostolorum coryphaeo propositum discipulis fuit, ut in perditissimi Judae vicem novus ex illis, qui viventis Christo comites assidui haberant, deligeretur Apostolus, qui duodenarium numerum completeret, essetque Christi miraculorum & doctrinae, Resurrectionis quoque, & ad aeternum Patrem Ascensionis idoneus testis. Praemissis igitur humillimis ad Deum precibus, selectisque duobus inter discipulos eximii, cum incertum adhuc esset, uter amborum tanto munere dignior esset, caelesti demum indicio, ac divina forte, in locum ex quo traditor Judas exciderat, suffectus Matthias fuit; altero, cui Josephi Barsabae nomen, & Justus cognomen, posthabito. His ita gestis, sancta illa multitudo assiduis orationibus, & mutuis cohortationibus, promissum sibi a Jesu Christo divinum Spiritum avidissime praestolabatur. Qui tandem decimo ab ascensu Christi in caelum die, sub ignearum linguarum signis in singulos congregatos mirifice illapsus, eos omnes divinis cognitionibus, & sapientia intusa collustravit, & caelestibus virtutum donis cumulavit. Contigere ista, secundum exactiorem chronologiam, anno excurrente imperii Tiberii Caesaris Decimo octavo.

2. Spiritu Sancto repleti Discipuli, hactenus mœstia dejecti, & praetere timore abditii, quasi generosi leones ex suis specubus erumpentes, in publicum prosiluerunt, Dominique Resurrectionem, Ascensionem ad Patris dexteram, simulque Divinitatem palam Hierosolymis praedicare ceperunt, eamque in rem tantum rudii & ardoris impenderunt, ut invidentes, insensique Judaei illos vino temulentos proclamarent. Sed tanta nihilominus divinae virtutis efficacia, ut Petrus Ecclesiae caput, & constitutus a Deo Apostolorum princeps, eo ipso primo quo ex latebris prodit die, tria Judaeorum millia ad Christi fidem converterit. Idemque iterata praedicatione, additaque viri curatione, qui claudus, & artubus impotens ab ipsa fuerat nativitate, duo ad Christi fidem convertorum hominum millia ad primos illos adjunxit; nisi quis malit numerum quinque millium a prioribus tri-

bus millibus esse distinctum, ut excurrat numerus ad octo mille recens convertos, cui suffragantur sententiae sancti Doctores Hieronymus, Augustinus, & Chrysostomus.

3. Hisce nascentis Ecclesiae initiis Apostoli non solum curae animarum intenti erant, sed etiam alimoniae, ceterarumque corporum necessitatum ex communibus facultatibus (nihil quippe proprium sibi, suaeque familiae peculiare, quicquam fidelium reservarat) indefessa sollicitudine distinebantur. Cum tamen, crescente in dies numero discipulorum, jam non possent Apostoli utriusque officio satisfacere, proposuerunt faciendam multitudine convocata septem Diaconorum electionem, quorum deinceps opera fieret ut ipsi Apostoli, rerum temporalium onere sublevati, liberius factis incumbere ministeriis. Idque communi consensu perfectum, creatis per universorum suffragia Diaconis septem, quorum haec nomina, Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus Antiochenus advena.

4. Ceterum humanae gentis pater, & custos Deus quid magnum in terris molitur, solet malignantium demonum, hominumque insectationibus probandum, atque exercendum objicere, ut superatis tandem obstaculis, divina virtus & gloria clarius elucescat. Exorta igitur prima ex Judaeorum malignitate persecutio, cujus paulo ante primordia in Sacerdotum, Scribarum, & Sadduceorum concilio prohibente Jesum praedicari jacta fuerant. Sanctis igitur Apostolis Christum annunciare non desinentibus, sanctoque Stephano Diacono Judaeos obstinentes strenue convincente, tanto furore Synagoga exarsit, ut Stephanus quasi blasphemus & impius lapidatus sit, ceterique discipuli ad vincula, & necem conquisiti undequaque fuerint. Cujus occasione calamitatis discipuli ex Judaea profugi, sese in finitimas regiones dispersere: ex quorum numero Philippus alter Diaconus Samaritiam commigrans quamplurimos ibi Judaeos ad Christi fidem adduxit & baptizavit, atque in his Simonem Magum. Cum vero Philippus characteri careret Episcopali, atque ita potestate fidelibus per manuum impositionem Spiritum sanctum conferendi, ad Apostolos recurrendi necessitas fuit. Quamobrem Petrus & Joannes Hierosolyma egressi Samaritiam adventarunt, novos fideles sacra manuum impositione confirmaturi, & consignaturi. Cumque Simon Magus miracula conspiceret in illis qui Spiritum divinum susceperant effulgentia, ipseque magicis artibus additus, signis & prodigiis ambiret inclarescere, voluit donum hoc caeleste profano pretio ab ipso Petro mercari. Sed ab ipso acriter repulsus, deposita tum demum pietatis eminentia larva, qua Ecclesia illuserat, primus evasit Haresarcha; sinumque matris Ecclesiae, quo benigne fuerat exceptus, quasi vipereus partus

A

tus